

bi. Prius Abrahamo ipse Deus cœlitus, gratulabatur de victoriâ. Nunc ex Mesopotamia lætum accipit nuncium. Ita fidei obedientia etiam in hoc mundo sua accipit præmia à Deo & hominibus. Nachor post euocationem Abrahami manserat in Chaldæa: inde tandem in Mesopotamiam profectum ex cap. 24. liquebit. Octo filios ex Milca suscepit,

A de quibus alibi scriptura nihil. Ex Vz primogenito putatur ortus Iob. cap. 1. v. 1. Ex secundo Buz Elihu amicus Iobi, vt notat Hieron. cap. 32. 2. *Accensus furor Elihu filii Barachiel Buzita.* Habuit concubinam ex consuetudine gentis, non ex lege: Ideo concubinatus patrum non probat $\alpha\lambda\upsilon\gamma\alpha\mu\iota\alpha\nu$.

CAPITIS XXIII.

Argumentum, Vfus, Partitio.

Hic quintam דבר seu lectionem ordiuntur Hebræi, quam ab initialibus dictionibus vocant ויהי vita Saræ: & continet catastrophem seu extremum actum historiae Abrahæ, obitum nempe vxoris Saræ: nuptias Isaaci, tandemq; nouum coniugium, liberos, testamentum, & mortem ipsius patriarchæ vsq; ad versum 19. cap. 25. Hoc caput continet narrationem de morte sanctissimæ matronæ Saræ, & de luctu Abrahami, & de sepultura defunctæ Saræ. Commonefacit nos de mortalitate nostra & de moderate plangendis honesteq; curandis & sepeliendis defunctis amicis, vt spem immortalitatis in nobis ipsis & in aliis exsuscitemus.

Partes tres sunt:

- I. Saræ obitus & planctus Abrahæ: ver. 1. 2.
- II. Entio sepulcri ab Hethæis. vsq; ad ver. 19.
- III. Sepultura Saræ, versibus duobus extremis.

PRIMA PARS CAPITIS

Mors Saræ.

Y Fuit autem vita Saræ centum viginti septem annorum, anni, inquam, vita Saræ.

Z Et mortua est Sara in ciuitate Arba, ipsa est Hebron, in terra Canaan: venitq; Abraham ad plangendum Saram, & ad flendum eam.

EXPLANATIO.

ET FUIT VITA SARÆ. Ætas & mors Saræ & locus emortualis, & plāctus Abrahami breuiter à Mose hic indicatur. Hacten? ætas aut mors fœminæ vlius non legitur descripta, ne Heuæ quidem. Saram igitur matrem omnium fœdelium nouo honore dignatur Spiritus sanctus. Quod ex abrupto subicitur prioribus mors Saræ, Hebræi fingunt, eam accepto nuncio de immolatione filii, subitanea consternatione exspirasse. Sed ipsi sibi fabulas fingunt, vbi volunt. Ex Iosepho refutantur. Si Isaac in immolatione fuit 25. annorum,

B Sara 12. annis post vixit. Quomodo igitur eo nuncio exstingui potuit? ויהי Vita Saræ, plurale pro singulari, phrasi Hebraica, vt supra cap. 2. 3. in creatione: Inspirauit homini נשמת spiraculum vitarum, vt non sit opus quærere in numero mysterium pluriū animarum aut vitarum, magis, quam cum Latini dicunt quadrigas pro quadriga, triones pro trione. Porro ætas Saræ fuit 127. annorum. Glossa interlinearis duob. numeris 100. & 27. quia sunt solidi & quadrati, significari dicit integritatem vitæ sanctorum ante huius vitæ exitum:

PPPP 3 nimis